

L
PO-LO-MIE
Seu Giaca Fructus.



Sinis Polomie & Giaca à Lusitanis vocatur fructus & Arbor quæ illud admirabile habet, quod vnum, duos, aut tres fructus miræ magnitudinis in trunco tantùm producat. Sæpè singulis deferendis singuli homines sunt necessarij. Cortex Fructus pungit, atque si viridibus scateret sentibus; discissus verò, viscum album qui cellulis recorditos flavos & melleos fructus adglutinat, plurimùm defert, & præcipuè ad interiorem cavitationem corticis. Nucleus illius (quemadmodum pictum vides) elixus Castaneam dulcem sapit. Fructus vnus, vel, vt veriùs dicam, plures in vno reclusi, decem seu viginti hominibus ad comedendum sufficere possunt. Figuræ est Ovalis, & magnitudine ac gravitate superat maximam Cucurbitam; Neque abs re quidam saccum repletum melleis sacculis, recondentibus nuces Castaneas appellavit. Sapore Melonem præcellit. Caro illa melior, quæ durior, diciturque à Lusitanis Cocobarca. Maturuisse fructum conijciunt, si illius cortex sit mollis, nam si adhuc durus sit, vel in arbore illum sinunt maturescere, vel depositi expectant cum tempore mollitiem & maturitatem.

Majo & Iunio sine floribus generatur.

